

Pegasidum corona,  
qvam favente colesti  
numine, rectore vero  
univerisatis ma...

Alanus, Claes Göransson,

*1 Ic Fol. Okat.*



National Library  
of Sweden

PEGASIDUM CORONA,

*Quam*

FAVENTE COELESTI NUMINE,

RECTORE vero Universitatis MAGNIFICO,

*Maximè Reverendo atq; Præcellentissimo:*

DN. ENEVALDO SVENONIO,

S. S. Theol. Doct. & Professore Primario Percelebri, Ecclæ  
Ab; & Nummensis Past: Digniss: Consi: Acad: Adfess: gravissimo.

*Præclarissimus atq; Excellentissimus Vir*

M. JOHANNES FLACHSENIUS,

Math. Prof. Ord. Eccl. Pukensis Past. meritissimus,

*Viris Pereximiis atq; Doctissimis*

DN. CHRISTIERNO FRISIO,

Dn. ELIÆ WOIVALENIO.

Dn. SVENONI HÖÖK/  
Dn. MAGNO CHORINO

Dn. MAGNO NICANDRO,

Sanioris Philosophiæ Candidatis Laudatiss:  
Conferebat;

*Cum in illustri Fennorum Academia d: 21. Julij Anni 1685.*

*Artium & Philosophiæ*



MAGISTRI

Solemniter pronunciarentur.

Quod ut faustum felixq; sit, Gratulantur Amici,

*Pædagogus meus, Johanne Bengt. offerebat hanc. 672.*





oëtarum illud decus Palingenius, scite  
& perbelle in suo Zodiaco vitæ canit:  
*Spe fama soles ad virtutem impellere multos,*  
QVO Lemnate divinus ille Poëta rectis-  
sime hominum exprimit mentem,  
qui enim illustre habet ingenium  
non terræ infodit pondus suum, sed  
semper ad illustria semper ad egregia  
semperq; honorem affectat: sic nostri Pereximii ac Doctissi-  
mi Dn. Cand. ipsa indole commori, & studuere & sudavere si-  
ne omni intermissione ut sibi propositam metam attinge-  
rent, secum reputantes Romæ quid moris erat, nempe  
Neminem templum honoris intrare nisi qui prius per  
templum virtutis ingressus sit. Quam ad metam etjam,  
adjuvante Cœlorum Numine summo, pervenerunt, Lau-  
rea ferta capitibus gerentes. Quod illis felici sidere  
contigisse in Nominis divini gloriam Patriæ ac Reipubli-  
cæ emolumentum sui & suorum ingens solarium, vovet

*III. officiosissimus.*

CLAUDIUS GEORGII ALANUS

Notarius Stipendiariorum.





Ui stagno aurifero Paſolo ſit madefa-  
tus,

Et male Pieridum fontem quoq; ſper-  
nit amœnum

Cyprigena Veneri nimioq; obtemperat  
auſu,

Et lautos cyatos inhiatq; haurire profundos ;  
Illum nullus honos ſequitur celebrisq; Aganippes,  
Delphica nec laurus decorabit tempora nuda.  
At Heliconades quem nutrivere canora  
Lymphâ tam Sacrà de fonteq; Caſtaliò, inde  
Semper ei merito virtutis præmia ſtabunt,  
Palma, Corona, Decus, Lux, Laurus, Laus,  
Honor, Aurum.

Eximii noſtri Juvenes candore politi,  
Omnia ſic referunt hæc præmia, larga Trophæa.  
Sint ergo fauſti quos cernitis artu honores,  
Quos, quoq; geſtetis grandævi Neſtoris annos.  
Vaſcula Pandoraq; avertat ſummus Jöva.  
Sic vivant, vigeant, vireant valeantq; Magiſtri!

Honoris & moris E. cecini  
P. PSILANDER,  
Aland:

ADONICUM.

**C**um spatiando,  
 Me recrearem,  
 Apparuerunt  
 Piërides mi  
 Vertice in alto,  
 Carpere frondes,  
 Culmine lauri.  
 Quæ digitisque  
 Laurea Seta  
 Sæpè parare  
 Sunt solita, sic  
 Tunc ego quæro:  
 Quo studeant iam  
 Deproperare?  
 Tendere, dicunt,  
 Pergere ad Auram,  
 Pophite flexo,  
 Dare Trophæa

Docta viris, qui  
 Candidiores,  
 Artibus apti,  
 Qui probitate  
 Mente politi in  
 Pallados arce,  
 Laurigerosq;  
 Cernimus illos,  
 Quod meruit que eis  
 Assiduusq;  
 Ætus & ardor.  
 Faustus honor sit  
 Hic precor illis!  
 Sic valeant nunc  
 At faveantq;  
 Mi BENEDICTO  
 Hæbeleswisten  
 Calmariensi.

